nam quod arræ nomine datur, argumentum[5] est emptionis et venditionis contractæ[4]. Sed hæc quidem de emptionibus et venditionibus quæ sine scriptura consistunt, obtinere oportet; nam nihil a nobis in hujusmodi venditionibus innovatum est. In[5] iis autem quæ scriptura conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem et emptionem constituimus, nisi et instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta a contrahentibus autem subscripta[6]; et si per tabelliones fiunt, nisi et completiones acceperint, et fuerint partibus absoluta. Donec enim aliquid deest ex his[7], et pœnitentiæ locus est, et potest emptor vel venditor sine pœna recedere ab emptione. Ita tamen impune eis recedere concedimus[8], nisi jam arrarum nomine aliquid fuerit datum. Hoc etenim subsecuto, sive in scriptis sive sine scriptis venditio celebrata est, is qui recusat adimplere contractum[9], si quidem est emptor, perdit quod dedit, si vero venditor, duplum restituere compellitur, licet super arris nihil expressum est.

§ 1. Pretium autem constitui oportet, nam nulla emptio sine[10] pretio esse potest. Sed et[11] certum pretium esse debet: alioquin si inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta, inter veteres satis abundeque hoc dubitabatur, sive constat venditio sive non[12]. Sed nostra[13] decisio ita hoc constituit, ut quotiens sic composita sit venditio *quanti ille æstimaverit*, sub hac conditione staret contractus: ut, si quidem ipse qui nominatus est pretium definierit, omnimodo secundum ejus æstimationem et pretium persolvatur et res tradatur, et venditio ad effectum perducatur emptore quidem ex[14] empto actione, venditore ex[15] vendito agente. Sin autem ille qui nominatus est, vel noluerit vel non potuerit[16] pretium definire, tunc pro nihilo esse venditionem, quasi nullo pretio statuto. Quod jus, cum in venditionibus nobis placuit, non est absurdum et[17] in locationibus et conductionibus trahere. — § 2. Item pretium in[18] numerata pecunia consistere debet; nam in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti an homo aut fundus aut toga alterius rei pretium esse possit valde quærebatur. Sabinus et Cassius etiam in alia re putant[19] posse pretium consistere. Unde illud est quod vulgo dicebatur, permutatione rerum emptionem et venditionem contrahi, eamque speciem emptionis et venditionis vetustissimam esse; argumentoque utebantur græco poeta Homero, qui aliquam partem exercitus Achivorum vinum sibi comparasse ait, permutatis quibusdam rebus, his verbis:

Ενθεν αρ ωνιζοντο καρηκομωντες Αχαιοι,
Αλλοι μεν χαλκω, αλλοι δ' αιθωνι σιδηρω,
Αλλοι δε ρινοις, αλλοι δ' αυτοισι βοεσσιν,
Αλλοι δ' ανδραποδεσσι.

Diversæ scholæ auctores[20] contra sentiebant, aliudque esse existimabant permutationem rerum, aliud emptionem et venditionem: alioquin non posse rem expediri permutatis rebus, quæ videatur res vænisse, et quæ pretii nomine data esse; nam utramque videri et vænisse et pretii nomine datam esse, rationem non pati[21]. Sed Proculi sententia dicentis, permutationem propriam esse speciem contractus a venditione separatam, merito prævaluit; cum et ipsa aliis Homericis versibus adjuvatur, et validioribus rationibus argumentatur. Quod et anteriores divi principes admiserunt, et in nostris Digestis latius significatur. — § 3. Cum autem emptio et venditio contracta sit, quod effici diximus[22] simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptura res agitur, periculum rei venditæ statim[23] ad emptorem pertinet, tametsi[24] adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si homo mortuus sit vel aliqua parte corporis læsus fuerit, aut ædes totæ vel aliqua ex parte incendio[25] consumptæ fuerint, aut fundus vi fluminis[26] totus vel aliqua ex parte ablatus sit, sive etiam inundatione[27] aquæ aut arboribus turbine[28] dejectis longe minor[29] aut deterior esse cœperit, emptoris damnum est, cui necesse[30] est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim[31] sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed et si post emptionem fundo aliquid[32] per alluvionem accessit, ad emptoris commodum pertinet; nam et commodum ejus esse debet cujus periculum est. Quod si fugerit homo qui væniit, aut subreptus fuerit, ita ut neque dolus neque culpa venditoris interveniat, animadvertendum[33] erit an custodiam ejus usque ad traditionem venditor susceperit. Sane enim si suscepit, ad ipsius periculum is casus pertinet; si non suscepit, securus est. Idem et in ceteris animalibus ceterisque rebus intelligimus: utique tamen vindicationem rei et condictionem exhibere[34] debebit emptori, quia sane qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipse dominus est[35]. Idem etiam est de furti et de damni injuriæ actione[36]. — § 4. Emptio tam sub conditione[37], quam pure contrahi potest[38]: sub conditione, veluti *si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tib emptus aureis tot*[39]. — § 5. Loca sacra vel religiosa, item publica, veluti forum, basilicam, frustra quis[40] sciens emit. Quæ tamen si pro profanis vel privatis deceptus a venditore emerit, habebit actionem ex empto quod non habere ei liceat, ut consequatur[41] quod sua interest deceptum non esse. Idem juris est, si[42] hominem liberum pro servo emerit.

TIT. XXIV.

DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE[1].

Locatio et conductio proxima[2] est emptioni et venditioni, iisdemque juris regulis consistit. Nam ut emptio et venditio ita contrahitur si de pretio convenerit, sic et locatio et conductio ita contrahi intelligitur si merces constituta sit[3]; et competit locatori quidem locati actio, conductori[4] vero conducti.

§ 1. Et quæ supra diximus, si alieno arbitrio pretium promissum fuerit, eadem et de locatione et conductione dicta esse intelligamus, si[5] alieno arbitrio merces permissa fuerit[6]. Qua de causa, si fulloni polienda curandave, aut sarcinatori sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus quantum inter eos convenerit, non proprie locatio et conductio contrahi intelligitur, sed eo nomine actio præscriptis[7] verbis datur[8]. — § 2. Præterea, sicut vulgo quærebatur, an permutatis[9] rebus emptio et venditio contrahitur, ita quæri solebat de locatione et conductione, si forte rem aliquam tibi utendam sive fruendam quis dederit[10], et invicem a te aliam rem utendam sive fruendam acceperit. Et placuit non esse locationem et conductionem, sed proprium genus esse contractus[11]: veluti[12] si, cum unum bovem quis haberet et vicinus ejus unum, placuerit inter eos ut per denos dies invicem boves commodarent ut opus facerent, et apud alterum bos periit, neque locati neque conducti neque commodati competit actio, quia non fuit gratuitum[13] commodatum; verum præscriptis verbis agendum est. — § 3. Adeo autem aliquam familiaritatem[14] inter se habere videntur emptio et venditio, item locatio et conductio, ut in quibusdam causis quæri soleat, utrum emptio et venditio contrahatur, an locatio et conductio: ut ecce de prædiis quæ perpetuo[15] quibusdam fruenda traduntur, id est, ut quamdiu[16] pensio sive reditus pro his domino præstetur, neque ipsi conductori neque heredi ejus cuive conductor heresve ejus id prædium vendiderit aut donaverit aut dotis nomine dederit, aliove quoquo modo alienaverit, auferre liceat[17]. Sed talis contractus quia inter veteres dubitabatur, et a quibusdam locatio, a quibusdam venditio existimabatur, lex Zenoniana[18] lata est, quæ emphyteuseos contractus propriam statuit naturam, neque ad locationem neque ad venditionem inclinantem, sed suis[19] pactionibus fulciendam; et si quidem aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere ac si natura talis esset contractus: sin autem nihil de periculo rei fuerit pactum, tunc si quidem totius rei interitus accesserit, ad dominum super hoc redundare periculum; sin particularis, ad emphyteuticarium hujusmodi damnum venire[20]. Quo jure utimur. — § 4. Item quæritur, si cum[21] aurifice Titius convenerit ut is ex auro suo certi ponderis certæque formæ anulos ei faceret, et acciperet verbi gratia aureos decem, utrum emptio et venditio an locatio et conductio contrahi videtur? Cassius ait, materiæ quidem emptionem et venditionem con-

3. L. 35, in pr. D. eod. — 4. Inst. Gaii, III, 139. — 5. L. 17, C. de fide instrum. — 6. L. 20, C. de donat. — 7. L. 6, in fin., D. de contrab. empt. — 8. d. L. 17, in fin., C. de fide instrum. — 9. d. L. 17, in fin.; L. 2, C. quando liceat ab empt. disced. — 10. L. 2, in fin, D. de contrah. empt — 11. L. 7, § 1 et 2, D. eod. — 12. Inst. Gai., III, 140. — 13. L. ult. C. de contrah. empt. — 14. L. 2, in pr.; L. 11, in pr. D. et C. tit. de act. empt. et vend. — 15. L. 35, § 19, D. eod. — 16. L. 75, D. pro socio. — 17. L. ult. in fin. C. de contrah. empt. — 18. L. pen., C. de rer. permut. — 19. L. 1, § 1, D. de contrah. empt. — 20. d. L. 1, § 1, et L. 5, § 1, D. de præscr. verb. — 21. Inst. Gaii, III, 141. — 22. Pr. supr. h. t. — 23. L. 1, C. de peric. et commod. rei vend. — 24. L. 62, in fin., D. de contrah. empt.; L. 36, D. de act. empt.; L. 8, in pr., L. 12, 13, 14, D. de peric. et commod. rei vend.; L. 14, in pr. D. de furt.; L. 4, L. ult. C. de peric. et commodo rei vend. — 25. L. 11, D. et L. 5, C. eod. — 26. L. 7, in pr.; L. 10 in fin. D. eod. — 27. d. L. 10, in fin. — 28. L. 9, D. eod. — 29. L. 70, D. de evict. — 30. *Vide tamen* L. 35, D. locati conduct. *adde* L. 14, D. de peric. et commodo rei vend.; L. ult., D. de condict. caus data. — 31. L. 5, L. 16, D. de peric. et commod. rei vend. — 32. L. 7, in pr. D. eod. — 33. L. 35, § 4, D. de contrah. empt. — 34. d. L. 35, § 4. *adde* L. 80, D. de furt. — 35. L. 40, D. de act. empt. — 36. L. 13, § 12, D. eod.; L. 14, in pr. D. de furtis. — 37. L. 20, D. locat. conduct. — 38. *Adde* L. 80, § 2, D. de contrah. empt. — 39. *Adde* tit. de L. commissoria, et de in diem addictione; Inst. Gaii, III, 146. — 40. L. 4, L. 5, L. 6, in pr.; L. 62, § 1; L. 70, D. de contrah. empt.; L. 55, D. de liberali causa; L. ult. D. quib. ad libertatem proclamare. — 41. *Adde* L. 39, D. de act. empt. et L. pen. D. ad leg. Cornel. de fals. — 42. L. 4, D. quib. ad libertatem proclamare.

TIT. XXIV. — 1. Lib. 19, D. 2; Lib. 4, C. 38 et 11, 70. — 2. L. 2, D. h. t. — 3. Inst. Gaii, III, 142. — 4. L. 15, in pr. D. eod. — 5. L. 25, in pr. D. eod. — 6. Inst. Gaii, III, 143. — 7. L. 22, in fin. D. de præscr. verb. — 8. Inst. Gaii, III, 143. — 9. § 2, supr. tit. prox. — 10. L. 1, 5. D. de præser. verb. — 11. Inst. Gaii, III. 144. — 12. L. 17, § 3, D. eod. — 13. § 2, in fin. supr. quib. mod. re contrah. oblig. — 14. L. 19, L. 20, D. de act. empt.; L. 2, § 1, D. h. t. — 15. L. 10. C. h. t.; L. 1, C. de offic. comit. sacr. palat.; L. 1, 2, 3, C. de locatio prædi.; L. 1, D. si ager vectig. — 16. L. 2. C. de jure emphyt. N. 7, c. 3, § 2. — 17. Inst. Gaii, III. 145. — 18. L. 1, C. de jure emphyt. — 19. L. 2, C. eod. — 20. d. L. 1, C. de jure emphyt.; L. 15, § 2 et 4; L. 25, § 6, D. h. t. — 21. L. 2, § 1, D. h. t.; L. 20, L. 65, D. de contrah. empt.

trahi, operæ autem locationem et conductionem; sed placuit tantum emptionem et venditionem contrahi. Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta, dubium non est quin locatio et conductio sit[22]. — § 5. Conductor omnia secundum[23] legem conductionis facere debet[24]; et si quid in lege prætermissum fuerit, id ex bono et æquo debet præstare[25]. Qui pro usu aut vestimentorum aut argenti aut jumenti mercedem aut dedit aut promisit, ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus[26] paterfamilias suis rebus exhibet: quam si præstiterit, et aliquo casu[27] eam rem amiserit, de restituenda ea re non tenebitur. — § 6. Mortuo conductore intra tempora conductionis, heres ejus eodem[28] jure in conductione[29] succedit.

TIT. XXV.

DE SOCIETATE[1].

Societatem coire solemus aut[2] totorum bonorum, quam Græci specialiter κοινοπραξιαν appellant, aut unius[3] alicujus negotiationis, veluti mancipiorum emendorum vendendorumque, aut olei, vini, frumenti emendi vendendique[4].

§ 1. Et quidem si nihil de partibus lucri et damni nominatim convenerit, æquales[5] scilicet partes et in lucro et in damno spectantur. Quod si expressæ fuerint partes, hæ servari debent. Nec enim umquam dubium fuit quin valeat conventio, si duo inter se pacti sunt ut ad unum quidem duæ partes et lucri et damni pertineant, ad alium tertia[6]. — § 2. De illa sane conventione quæsitum est, si Titius et Seius inter se pacti sunt ut ad Titium lucri duæ partes pertineant[7], damni tertia; ad Seium duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conventio? Quintus Mutius contra naturam societatis[8] talem pactionem esse existimavit, et ob id non esse ratam habendam. Servius Sulpitius, cujus sententia prævaluit, contra sensit[9]; quia sæpe[10] quorumdam ita pretiosa est opera in societate, ut eos justum sit conditione meliore in societatem admitti. Nam et ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat[11], alter non conferat, et tamen lucrum inter eos commune sit; quia sæpe opera alicujus pro[12] pecunia valet. Et adeo contra Quinti Mutii sententiam obtinuit, ut illud quoque constiterit, posse convenire ut quis lucri partem ferat, damno[13] non teneatur; quod et ipsum Servius convenienter sibi existimavit[14]. Quod tamen ita intelligi oportet, ut si in aliqua re lucrum, in aliqua damnum allatum sit, compensatione facta solum quod superest intelligatur lucri esse. — § 3. Illud expeditum est, si in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro vel in solo damno, in altera vero omissa, in eo quoque quod prætermissum est, eamdem partem servari[15]. — § 4. Manet autem societas eousque donec[16] in eodem consensu perseveraverint; at cum aliquis renuntiaverit societati, solvitur societas. Sed plane si quis callide[17] in hoc renuntiaverit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat: veluti si totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset relictus, in hoc renuntiaverit societati ut hereditatem solus lucrifaceret, cogitur hoc lucrum communicare. Si quid vero aliud lucrifaciat quod non captaverit, ad ipsum solum pertinet. Ei vero cui renuntiatum est, quidquid omnino post renuntiatam societatem adquiritur, soli[18] conceditur[19]. — § 5. Solvitur adhuc societas etiam morte socii[20]; quia qui societatem contrahit, certam personam sibi eligit[21]. Sed etsi consensu plurium societas contracta sit, morte unius socii solvitur, etsi plures supersint; nisi in coeunda societate aliter convenerit. — § 6. Item[22] si alicujus rei contracta societas sit, et finis negotio impositus est, finitur societas. — § 7. Publicatione[23] quoque distrahi societatem manifestum est, scilicet si universa bona socii publicentur. Nam cum in ejus locum alius succedit, pro mortuo habetur. — § 8. Item si quis ex sociis mole debiti prægravatus bonis suis cesserit[24], et ideo propter publica aut privata debita substantia ejus væneat[25], solvitur societas. Sed hoc casu, si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas[26]. — § 9. Socius socio utrum eo nomine tantum teneatur pro socio actione[27], si quid dolo commiserit, sicut is qui deponi[28] apud se passus est; an etiam culpæ, id est, desidiæ atque negligentiæ nomine, quæsitum est? Prævaluit tamen etiam[29] culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactissimam diligentiam dirigenda est. Sufficit enim talem diligentiam in communibus rebus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet. Nam qui parum diligentem socium sibi adsumit, de se queri hoc est, sibi imputare debet.

TIT. XXVI.

DE MANDATO[1].

Mandatum contrahitur quinque[2] modis: sive sua tantum gratia aliquis tibi mandet, sive sua et tua, sive aliena tantum, sive sua et aliena, sive tua et aliena. At si tua tantum gratia mandatum sit, supervacuum est; et ob id[3] nulla obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur[4].

§ 1. Mandantis[5] tantum gratia intervenit mandatum: veluti, si quis tibi mandet[6] ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emeres, vel ut pro eo sponderes. — § 2. Tua et mandantis: veluti, si mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederes ei qui in rem ipsius mutuaretur; aut si, volente te agere cum eo ex fidejussoria causa tibi mandet[7] ut cum reo agas periculo mandantis; vel ut ipsius periculo stipuleris ab eo quem tibi deleget in id quod tibi debuerat. — § 3. Aliena autem causa intervenit mandatum, veluti, si tibi mandet ut Titii negotia gereres, vel ut Titio fundum emeres[8], vel ut pro Titio sponderes. — § 4. Sua et aliena: veluti, de communibus suis et Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi et Titio fundum emeres, vel ut pro eo et Titio sponderes.

§ 5. Tua et aliena: veluti, si tibi mandet ut Titio sub usuris crederes. Quod si ut sine usuris crederes, aliena tantum gratia intercedit mandatum. — § 6. Tua[9] gratia intervenit mandatum, veluti si tibi mandet ut pecunias tuas in emptiones potius prædiorum colloces, quam fœneres; vel ex diverso, ut fœneres potius quam in emptiones prædiorum colloces. Cujus generis mandatum, magis consilium quam mandatum est, et ob id non est obligatorium; quia nemo ex consilio obligatur[10], etiamsi non expediat ei cui dabitur, cum liberum cuique sit apud se explorare an expediat consilium[11]. Itaque si otiosam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, ut rem aliquam emeres, vel eam crederes; quamvis non expediat tibi eam emisse vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeo hæc ita sunt, ut quæsitum sit an mandati teneatur, qui mandavit tibi ut pecuniam Titio fœnerares? Sed obtinuit Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum; quia[12] non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum esset[13]. — § 7. Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod[14] contra bonos mores est: veluti, si Titius de furto ad damno faciendo, aut de injuria facienda tibi mandet[15]. Licet enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen ullam habes adversus Titium actionem[16]. — § 8. Is qui exequitur mandatum, non[17] debet excedere finem mandati. Ut ecce, si quis usque ad centum aureos mandaverit tibi ut fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes, neque pluris emere debes, neque[18] in ampliorem pecuniam fidejubere; alioquin non habebis cum eo mandati actionem: adeo quidem ut Sabino et Cassio placuerit, etiam si usque ad centum aureos cum eo agere volueris, inutiliter te acturum. Diversæ scholæ auctores recte usque ad centum aureos te acturum existimant; quæ sententia sane benignior est[19]. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo actionem; quoniam qui mandat ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur ut minoris, si possit, emeretur[20]. — § 9. Recte quoque mandatum contractum, si dum[21] adhuc integra res sit, revocatum fuerit, evanescit[22]. — § 10. Item si adhuc integro mandato mors[23] alterius interveniat, id est, vel ejus qui mandaverit, vel illius qui mandatum susceperit, solvitur[24] mandatum. Sed utilitatis causa receptum est, si eo mortuo qui tibi mandaverat, tu[25] ignorans[26] eum decessisse executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione: alioquin justa et probabilis ignorantia tibi damnum adferat. Et huic simile est quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titii per[27] ignorantiam

22. Inst. Gaii, III, 147. — 23. L. 25, § 3, D.; L. 19, C. h. t. *adde* L. 9, § 2, L. 11, § 4, D. eod. — 24. L. 6, C. eod. — 25. L. 17, C. eod. — 26. L. 25, § pen. D. eod., § 16, infr. de oblig. quæ ex delict. *Vide tamen* L. 3, § 1, D. nautæ. caup. stab.; L. 5, § 2, D. commodati; L. 23, D. de reg. jur. — 27. L. 23, C. h. t. — 28. L. 60, § 1, D. h. t. — 29. L. 10, C. eod.

TIT. XXV. — 1. Lib. 17, D. 2 et Lib. 4, C. 37. — 2. L. 5, in pr. D. pro socio. — 3. L. 65, in fin. pr. D. eod.; L. 44, § 1, D. de ædilit. edict. — 4. Inst. Gaii, III, 148. — 5. L. 29, in pr. D. h. t.; L. 6, D. eod. — 6. Inst. Gaii, III, 150. — 7. L. 30, D. eod. — 8. L. 63, in fin. pr. D. eod. — 9. *Immo vide* d. L. 30, D. h. t. — 10. L. 29, § 1, D. eod. — 11. L. 1, C. eod. — 12. L. 8, § 1, L. 52, § 2, D. eod. — 13. L. 29, § 1, D. eod. — 14. Inst Gaii, III, 149. — 15. *Id.* III, 150. — 16. L. 4, § 1; L. 63, § ult.; L. 65, § 3, D.; L. 5, C. eod. — 17. L. 63, § 3, D. eod. — 18. d. L. 65, § 6. — 19. Inst. Gaii, III. 151. — 20. L. 4, § 1; L. 59 in pr.; L. 60, in fin. pr.; L. 63, § ult.; L. 65, § 9, D. eod. — 21. Inst. Gaii, III, 152. — 22. d. L. 65, § 10. — 23. L. 63, § ult., L. 65, § 12, D. eod.; L. 1, in pr. D. de bonis damnat. — 24. L. 4, § 1, in verb. egestate. D. eod. — 25. L. 63, § 1, D. eod. — 26. Inst., Gaii, III, 153, 154 — 27. L. 31; L. 34; L. 72, D. eod. — 28. § 3, supr. quib. mod. re contrah. oblig. — 29. L. 52, § 2; L. 72, D. h. t.

TIT. XXVI. — 1. Lib. 17, D. 1; Lib. 4, C. 35. — 2. L. 2, D. h. t. — 3. d. L. 2, § ult.; L. 47, in pr., D. de reg. jur. — 4. Inst. Gaii, III, 155, 156. — 5. L. 2, § 1, D. h. t. — 6. L. 42 § 2, D. de procur. — 7. L. 22, § 2, D. h. t. — 8. L. 6, § 4, D. eod. — 9. L. 2, § ult. D. eod. — 10. § 11, in fin. infr. de oblig. quæ ex delict. — 11. Inst. Gaii, III, 156. — 12. L. 6, § 5; L. 22, D. h. t.; L. 6, D. eod. — 6. Inst. Gaii, III, 156. — 7. L. 30, D. eod. — 8. L. 63, in fin. pr. D. eod. — 9. *Immo vide* d. L. 30, D. h. t. — 10. L. 29, § 1, D. eod. — 11. L. 1, C. eod. — 12. L. 8, § 1, L. 52, § 2, D. eod. — 13. L. 29, § 1, D. eod. — 14. Inst Gaii, III, 149. — 15. *Id.* III, 150. — 16. L. 4, § 1; L. 63, § ult.; L. 65, § 3, D.; L. 5, C. eod. — 17. L. 63, § 3, D. eod. — 18. d. L. 65, § 6. — 19. Inst. Gaii, III. 151. — 20. L. 4, § 1; L. 59 in pr.; L. 60, in fin. pr.; L. 63, § ult.; L. 65, § 9, D. eod. — 21. Inst. Gaii, III, 152. — 22. d. L. 65, § 10. — 23. L. 63, § ult., L. 65, § 12, D. eod.; L. 1, in pr. D. de bonis damnat. — 24. L. 4, § 1, in verb. egestate. D. eod. — 25. L. 63, § 1, D. eod. — 26. Inst., Gaii, III, 153, 154 — 27. L. 2, D. h. t.; L. 20, L. 65, D. de contrah. empt.

3. L. 1, § 1, D. de contrah. empt. — 4. Inst. Gaii, III, 139. — 5. L. 17, C. de fide instrum. — 6. L. 20, C. de donat. — 7. L. 6, in fin., D. de contrah. empt. — 8. d. L. 17, in fin., C. de fide instrum. — 9. d. L. 17, in fin.; L. 2, C. quando liceat ab empt. disced. — 10. L. 2, in fin, D. de contrah. empt — 11. L. 7, § 1 et 2, D. eod. — 12. Inst. Gai., III, 140. — 13. L. ult. C. de contrah. empt. — 14. L. 2, in pr.; L. 11, in pr. D. et C. tit. de act. empt. et vend. — 15. L. 35, § 19, D. eod. — 16. L. 75, D. pro socio. — 17. L. ult. in fin. C. de contrah. empt. — 18. L. pen., C. de rer. permut. — 19. L. 1, § 1, D. de contrah. empt. — 20. d. L. 1, § 1, et L. 5, § 1, D. de præscr. verb. — 21. Inst. Gaii, III, 141. — 22. Pr. supr. h. t. — 23. L. 1, C. de peric. et commod. rei vend. — 24. L. 62, in fin., D. de contrah. empt.; L. 36, D. de act. empt.; L. 8, in pr., L. 12, 13, 14, D. de peric. et commod. rei vend.; L. 14, in pr. D. de furt.; L. 4, L. ult. C. de peric. et commodo rei vend. — 25. L. 11, D. et L. 5, C. eod. — 26. L. 7, in pr.; L. 10 in fin. D. eod. — 27. d. L. 10, in fin. — 28. L. 9, D. eod. — 29. L. 70, D. de evict. — 30. *Vide tamen* L. 35, D. locati conduct. *adde* L. 14, D. de peric. et commodo rei vend.; L. ult., D. de condict. caus data. — 31. L. 5, L. 16, D. de peric. et commod. rei vend. — 32. L. 7, in pr. D. eod. — 33. L. 35, § 4, D. de contrah. empt. — 34. d. L. 35, § 4. *adde* L. 80, D.

liberto solverint, liberari eos; cum alioquin stricta juris ratione non possent liberari, quia alii solvissent quam cui solvere debuerint[28].

§ 11. Mandatum non suscipere cuilibet liberum est; susceptum autem[29] consummandum est, aut quam primum renuntiandum, ut per semetipsum aut per alium eamdem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuntiatur ut integra causa mandatori reservetur eamdem rem explicandi, nihilominus mandati actio[30] locum habet: nisi justa causa[31] intercessit, aut non renuntiandi, aut intempestive renuntiandi.

§ 12. Mandatum et in diem[32] differri, et sub conditione fieri potest. — § 13. In summa sciendum est, mandatum nisi[33] gratuitum sit, in aliam formam negotii cadere; nam mercede constituta, incipit locatio et conductio esse. Et, ut generaliter diximus, quibus casibus sine[34] mercede suscepto officio mandati aut depositi contrahitur negotium, iis casibus interveniente mercede locatio et conductio contrahi intelligitur. Et ideo si fulloni polienda curandave vestimenta dederit, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta neque promissa, mandati competit actio[35].

TIT. XXVII.

DE OBLIGATIONIBUS QUASI EX CONTRACTU.

Post genera contractuum enumerata, dispiciamus etiam de iis obligationibus quæ non proprie quidem ex contractu nasci intelliguntur; sed tamen quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

§ 1. Igitur cum quis[1] absentis negotia gesserit, ultro citroque inter eos nascuntur actiones quæ appellantur negotiorum gestorum. Sed domino quidem rei gestæ adversus eum qui gessit, directa[2] competit actio; negotiorum autem gestori, contraria. Quas ex nullo contractu proprie nasci manifestum est; quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit: ex qua causa ii quorum negotia gesta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque utilitatis[5] causa receptum est, ne absentium qui subita festinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum administratione, peregre profecti essent, desererentur negotia: quæ sane nemo curaturus esset, si de eo quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem. Sicut autem is qui utiliter gesserit negotia, habet obligatum dominum negotiorum, ita et contra iste quoque tenetur ut administrationis rationem reddat. Quo casu ad exactissimam quisque diligentiam compellitur reddere rationem; nec sufficit talem diligentiam adhibere qualem suis rebus adhibere soleret, si modo alius diligentior commodius administraturus esset negotia. — § 2. Tutores quoque qui tutelæ judicio tenentur, non[4] proprie ex contractu obligati intelliguntur (nullum enim negotium inter tutorem et pupillum contrahitur); sed quia sane non ex maleficio tenentur, quasi ex contractu teneri videntur. Et hoc autem casu mutuæ sunt actiones: non tantum enim pupillus cum tutore habet tutelæ actionem, sed ex contrario tutor cum pupillo habet contrariam[8] tutelæ, si vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro[6] eo fuerit obligatus, aut rem suam creditoribus ejus obligaverit. — § 3. Item si inter aliquos communis sit res sine[7] societate, veluti quod pariter eis legata donatave esset; et alter eorum alteri ideo teneatur communi dividundo judicio, quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius ejus solus in eam rem necessarias impensas fecerit, non intelligitur proprie ex contractu obligatus, quippe nihil inter se contraxerunt: sed quia non ex maleficio tenetur, quasi ex contractu teneri videtur.

§ 4. Idem juris est de eo qui[8] coheredi familiæ erciscundæ judicio ex his causis obligatus est. — § 5. Heres[9] quoque legatorum nomine non proprie ex contractu obligatus intelligitur (neque[10] enim cum herede, neque cum defuncto ullum negotium legatarius gessisse proprie dici potest); et tamen quia ex maleficio non est obligatus heres, quasi ex[11] contractu debere intelligitur. — § 6. Item[12] is cui quis per errorem non debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Adeo enim non intelligitur proprie ex contractu obligatus, ut si certiorem rationem sequamur, magis (ut supra diximus) ex distractu, quam ex contractu possit dici obligatus esse. Nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur ut distrahat potius negotium, quam contrahat. Sed tamen perinde is qui accipit obligatur, ac si mutuum illi daretur, et ideo condictione tenetur[13]. — § 7. Ex quibusdam tamen causis repeti non potest quod per errorem non debitum solutum sit. Sic namque definierunt veteres, ex quibus causis inficiando lis crescit, ex iis causis non debitum solutum repeti non[14] posse: veluti[15] ex lege Aquilia, item ex legato[16]. Quod veteres quidem in iis legatis locum habere voluerunt, quæ certa constituta per damnationem cuicumque legata fuerant[17]. Nostra autem constitutio[18], cum unam naturam omnibus legatis et fideicommissis indulsit[19], hujusmodi augmentum in omnibus legatis et fideicommissis extendi voluit: sed non omnibus legatariis præbuit, sed tantummodo in iis legatis et fideicommissis quæ sacrosanctis ecclesiis et ceteris venerabilibus locis, quæ religionis vel pietatis[20] intuitu honorificantur, derelicta sunt. Quæ, si indebita solvantur, non repetuntur.

TIT. XXVIII.

PER QUAS PERSONAS NOBIS OBLIGATIO ADQUIRITUR[1].

Expositis generibus obligationum quæ ex contractu vel quasi ex contractu nascuntur, admonendi sumus adquiri nobis, non solum per[2] nosmetipsos, sed etiam per eas personas quæ in nostra potestate sunt; veluti per servos et filios nostros[3]: ut tamen quod per servos quidem nobis adquiritur[4], totum nostrum fiat; quod autem per liberos quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit adquisitum, hoc dividatur secundum imaginem rerum proprietatis et ususfructus quam nostra discrevit constitutio[5]: ut quod ab actione commodum perveniat, hujus usumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio servetur, scilicet patre actionem movente secundum novellæ nostræ[6] constitutionis divisionem.

§ 1. Item per liberos homines et alienos servos[7] quos bona fide possidemus, adquiritur nobis; sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex operibus suis vel ex re nostra adquirant[8]. — § 2. Per eum quoque servum in quo usumfructum vel usum habemus, similiter ex duabus istis causis nobis adquiritur[9]. — § 3. Communem servum pro[10] dominica parte dominis adquirere certum est: excepto eo quod uni nominatim stipulando aut per traditionem accipiendo, illi soli adquirit; veluti cum ita stipulatur, *Titio domino meo dare spondes*[11]? Sed si unius domini jussu servus fuerit stipulatus licet antea dubitabatur, tamen post nostram decisionem[12] res expedita est, ut illi tantum adquirat qui hoc ei facere jussit, ut supra dictum est[13].

TIT. XXIX.

QUIBUS MODIS OBLIGATIO TOLLITUR[1].

Tollitur autem omnis obligatio[2] solutione ejus quod debetur, vel si quis consentiente creditore aliud pro alio[3] solverit. Nec tamen interest quis[4] solvat, utrum ipse qui debet, an[5] alius pro eo; liberatur enim et alio solvente, sive sciente, sive ignorante debitore vel[6] invito, solutio fiat[7]. Item si[8] reus solverit, etiam ii qui pro eo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, si fidejussor solverit; non enim solus ipse liberatur[9], sed etiam reus.

§ 1. Item per[10] acceptilationem tollitur obligatio. Est autem acceptilatio imaginaria[11] solutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id si velit Titius remittere, poterit[12] sic fieri ut patiatur hæc verba debitorem dicere. *Quod ego tibi promisi habesne acceptum?* et Titius respondeat, *Habeo*[13]. Sed et græce[14] potest acceptum fieri, dummodo sic fiat ut latinis verbis solet: εχεις λαβων δηναρια τοσα; εχω λαβων. Quo genere (ut diximus) tantum æs solvuntur obligationes quæ ex verbis consistunt, non etiam ceteræ. Consentaneum enim visum est, verbis factam obligationem aliis posse verbis dissolvi. Sed et id quod alia ex causa debetur[15], potest in stipulationem deduci et per acceptilationem dissolvi[16]. Sicut autem quod debetur, pro parte recte solvitur[17], ita in[18] partem debiti acceptilatio fieri potest[19]. — § 2. Est prodita stipulatio

28. Inst. Gaii, III, 160. — 29. L. 5, § 1; L. 22, § ult.; L. 27, § 2, D. h. t.; L. 17, § 3, D. commodati. — 30. L. 22, in fin. D. h. t. — 31. L. 23, 24, 25, D. eod. — 32. L. 1, § 5, D. eod. — 33. d. L. 1, § ult. — 34. L. 22, D. de præscr. verb. — 35. Inst Gaii, III, 162.
Tit. XXVII. — 1. L. 5, in pr. D. de oblig. et act. — 2. L. 2, D. de negot. gest. — 3. L. 1, D. eod.; L. 5, in pr. vers. ideo autem. D. de oblig. et act. — 4. d. L. 5, § 1, D. de oblig. et act. — 5. L. 1, § 4; L. ult. D. de contrar. tutel.; L. 2, C. de in lit. dando tut. — 6. L. ult D. de contrar tutelæ. — 7. L. 25, § 16, in fin. D. famil. ercisc.; L. 15, D. de pecul.; L. 31, D. pro socio. — 8. L. 25, § 16, in pr. D. famil. ercisc. — 9. L. 5, § 3, D. de oblig. et act. — 10. d. L. 5, § 2. — 11. L. 3, in fin.; L. 4, D. quib. ex caus. in possess.; L. 6, in fin., D. de separat.; L. 20, D. de adquir. vel omitt. hered. — 12. d. L. 5, § 3, D. de oblig. et act. — 13. Inst. Gaii, III, 161. — 14. L. 4, C. de condict. indebiti. — 15. L. 4, C. de lege Aquil. — 16. *Adde* § 26, infr. de action. — 17. Inst. Gaii, III, 173; et II, 285. — 18. L. 2, C. commun. de legat. — 19. L. 1, 2, C. eod.; L. 1, D. de legat. 1. — 20. L. 32, § 2, D. de condict. indebiti.

Tit. XXVIII. — 1. Lib. 4, C. 27. — 2. Pr. supr. per quas person. cuique adquir. — 3. Inst. Gaii, III, 165. — 4. L. 41, D. de pecul. — 5. L. 2, C. de bonis quæ liber. — 6. L. ult. C. eod. — 7. L. 1, C. de rei vind. — 8. Inst. Gaii, III, 164. — 9. *Id.* III, 165. — 10. L. 45, D. de acquir. rer. dom. — 11. Inst. Gaii, III, 167. — 12. L. ult. C. per quas person. nob. adquir. — 13. Inst. Gaii, III, 167.
Tit. XXIX. — 1. Lib. 46, D. 5, 4; Lib. 8, C. 43, 44. — 2. L. 107, D. de solution. — 3. L. 17, C. eod. — 4. L. 104, D. de verb. oblig. — 5. L. 56, 64, 66, D.; L. 5; L. 17, C. de solution. — 6. L. 23, D. eod. — 7. Inst. Gaii, III, 168. — 8. L. 38, § 2, D. eod. — 9. L. 36, D. de fidejuss. — 10. L. 1, D. de acceptil. — 11. L. 5, D. eod. — 12. L. 8, § pen. et ult. D. eod. — 13. Inst. Gaii, III, 169. — 14. d. L. 8, in fin. — 15. L. ult. C. de acceptil. — 16 Inst. Gaii, III, 170. — 17. L. 9. D. eod. — 18. d. L. 9, et L. 10, D. eod. — 19. Inst. Gaii III, 172.

quæ vulgo *Aquiliana*[20] appellatur, per quam stipulationem contingit ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, et ea per acceptilationem tollatur. Stipulatio enim Aquiliana novat omnes obligationes, et a Gallo Aquilio ita composita est: *Quidquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet oportebit, præsens in diemve*[21]; *quarumque rerum mihi tecum actio, quæque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est erivve*[22]; quodve tu meum habes, tenes possidesve, dolove malo fecisti quominus possideas: quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari stipulatus est Aulus Agerius, spopondit Numerius Negidius. Item ex diverso Numerius Negidius interrogavit Aulum Agerium: Quidquid tibi hodierno die per Aquilianam stipulationem spopondi, id omne habesne acceptum? respondit Aulus Agerius: Habeo, acceptumque tuli. — § 3. Præterea novatione tollitur obligatio: veluti si id quod tu Seio debeas, a Titio dari stipulatus sit. Nam interventu novæ[23] personæ nova[24] nascitur obligatio, et prima tollitur translata in posteriorem: adeo ut interdum, licet posterior stipulatio inutilis sit, tamen prima novationis jure tollatur; veluti si id quod tu Titio debeas, a pupillo[25] sine tutoris auctoritate stipulatus fuerit. Quo casu res amittitur; nam et prior debitor[26] liberatur, et posterior obligatio nulla est. Non[27] idem juris est, si a servo quis fuerit stipulatus; nam tunc prior perinde obligatus manet, ac si postea nullus stipulatus fuisset[28]. Sed si eadem persona sit a qua postea stipuleris, ita demum novatio fit, si quid in posteriore stipulatione novi sit; forte si[29] conditio aut dies aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, si conditio adjiciatur, novationem fieri, sic intelligi oportet ut ita dicamus factam novationem[30], si conditio extiterit: alioquin si defecerit, durat prior obligatio[31]. Sed cum hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri novationem[32] cum novandi animo in secundam obligationem itum fuerat; per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, et quasdam de hoc præsumptiones alii in aliis casibus introducebant. Ideo nostra[33] processit constitutio quæ apertissime definivit tunc solum novationem fieri, quotiens hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter novationem prioris obligationis convenerunt: alioquin manere et pristinam obligationem, et secundam ei accedere, ut maneat ex utraque causa obligatio, secundum nostræ constitutionis definitionem, quam licet ex ipsius lectione apertius cognoscere. — § 4. Hoc amplius, eæ obligationes quæ consensu contrahuntur[34], contraria[35] voluntate dissolvuntur. Nam si Titius et Seius inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureorum; deinde re nondum secuta[36], id est, neque pretio soluto neque fundo tradito, placuerit inter eos ut discederetur ab ea emptione et venditione, invicem liberantur. Idem[37] est in conductione et locatione, et in omnibus contractibus qui ex consensu descendunt[38].

LIBER QUARTUS.

TIT. I.

DE OBLIGATIONIBUS QUÆ EX DELICTO[1] NASCUNTUR.

Cum expositum sit superiore libro de obligationibus ex contractu et quasi ex contractu, sequitur ut de obligationibus ex maleficio dispiciamus[2]. Sed illæ quidem (ut suo loco tradidimus) in quatuor genera dividuntur: hæ vero unius generis sunt; nam omnes ex re nascuntur[3], id est, ex ipso maleficio, veluti ex furto aut rapina aut damno aut injuria[4].

§ 1. Furtum est contrectatio[5] rei fraudulosa[6], vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve: quod lege naturali[7] prohibitum est admittere. — § 2. Furtum autem vel a furvo, id est nigro[8], dictum est, quod clam et obscure fiat, et plerumque nocte; vel a fraude, vel a ferendo, id est, auferendo; vel a græco sermone, qui φωρας appellant fures. Imo et Græci απο του φερειν φωρας dixerunt. — § 3. Furtorum autem genera duo sunt[9]: manifestum, et nec manifestum. Nam conceptum et oblatum species potius actionis sunt furto cohærentes, quam genera furtorum, sicut inferius apparebit[10]. Manifestus fur est, quem Græci επ αυτοφωρω[11] appellant; nec solum is qui in furto deprehenditur, sed etiam is qui in eo loco deprehenditur quo fit: veluti qui in domo furtum fecit, et nondum egressus januam deprehensus fuerit; et qui in oliveto olivarum aut in vineto uvarum furtum fecit, quamdiu in eo oliveto aut vineto fur deprehensus sit[12]. Imo ulterius furtum manifestum extendendum est, quamdiu eam rem fur tenens visus vel deprehensus fuerit, sive in publico sive in privato, vel a domino vel ab alio, antequam[13] eo pervenerit quo perferre ac deponere rem destinasset[14]. Sed si pertulit quo destinavit, tametsi deprehendatur cum re furtiva, non est manifestus fur. Nec manifestum furtum quid sit, ex iis quæ diximus intelligitur; nam quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est[15]. — § 4. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem testibus præsentibus furtiva res quæsita et inventa sit. Nam in eum propria actio constituta est, quamvis fur non sit, quæ appellatur concepti. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata sit, eaque apud te concepta sit: utique si ea mente tibi data fuerit, ut apud te potius quam apud eum qui dedit, conciperetur. Nam tibi apud quem concepta sit, propria adversus eum qui obtulit, quamvis fur non sit, constituta est actio quæ appellatur oblati. Est etiam prohibiti furti actio adversus eum qui furtum quærere testibus præsentibus volentem prohibuerit[16]. Præterea pœna constituitur edicto prætoris per actionem furti non exhibiti, adversus eum qui furtivam rem apud se quæsitam et inventam non exhibuit. Sed hæ actiones, id est, concepti et oblati et furti prohibiti, necnon furti non exhibiti, in desuetudinem abierunt. Cum enim requisitio[17] rei furtivæ hodie secundum veterem observationem non fit, merito ex consequentia etiam præfatæ actiones ab usu communi recesserunt[18]; cum manifestissimum est, quod omnes qui scientes rem furtivam susceperint[19] et celaverint, furti nec manifesti obnoxii sunt. — § 5. Pœna manifesti furti, quadrupli[20] est, tam ex servi quam ex liberi persona; nec manifesti, dupli[21]. — § 6. Furtum autem fit, non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet, sed generaliter cum quis alienam rem invito domino contractat[22]. Itaque, sive creditor[23] pignore, sive is apud quem res deposita est, ea re utatur; sive is qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat quam cujus gratia ei data est, furtum committit[24]: veluti, si quis argentum utendum acceperit quasi amicos ad cœnam invitaturus, et id peregre secum tulerit; aut si quis equum gestandi causa commodatum sibi longius[25] aliquo duxerit, quod veteres scripserunt de eo qui in aciem equum perduxisset[26].

§ 7. Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur quam utendas acceperint, ita furtum committere si[27] se intelligant id invito domino facere, eumque si intellexisset, non permissurum; at si permissurum credant, extra crimen videri: optima sane distinctione, quia furtum sine[28] affectu furandi non committatur[29]. — § 8. Sed et si credat aliquis invito domino se rem commodatam sibi contractare[30], domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri. Unde illud quæsitum est, cum Titius servum Mævii sollicitaverit ut quasdam res domino subriperet et ad eum perferret, et servus id ad Mævium pertulerit; Mævius dum vult Titium in ipso delicto deprehendere, permiserit servo quasdam res ad eum perferre: utrum furti an servi corrupti judicio teneatur Titius, an neutro[31]. Et cum nobis super hac dubitatione suggestum est, et antiquorum prudentium super hoc altercationes perspeximus, quibusdam neque furti neque servi corrupti actionem præstantibus, quibusdam furti tantummodo[32]. Nos hujusmodi calliditati obviam euntes per nostram decisionem[33] sanximus, non solum furti actionem, sed et servi corrupti contra eum dari. Licet enim is servus deterior a sollicitatore minime factus est, et ideo non[34] concurrant regulæ quæ servi corrupti actionem introducerent, tamen consilium corruptoris ad perniciem probitatis servi introductum est; ut sit ei pœnalis actio imposita, tamquam si re ipsa fuisset servus corruptus, ne ex hujusmodi impunitate et in alium servum qui facile possit corrumpi, tale facinus a quibusdam

20. L. 18, § 1, D. eod. — 21. Vulgo: præsens in diemve AUT SUB CONDITIONE, quarumque, etc. — 22. L. 16, D. de solution.; L. 12, D. de acceptil. — 23. L. 1. D. de novat. — 24. L. 2, C. pactis. — 28. Inst. Gaii, III, 176. — 29. L. 14, D. de novat. — 30. d. L. 14, in pr. — 31. Inst. Gaii, III, 177, 179. — 32. L. 8, § 1, D. eod. — 33. L. ult. C. eod. — 34. L. 3, D. de rescind. vendit.; et L. 80, D. de solution. — 35. L. 35, D. de reg. jur. — 36. L. 2, D de rescindenda vendit. — 37. L. 80, in fin. D. de solut. — 38. *Adde* § 30, infr. de action.; L. 7, in pr., L. 80, D. de fidejussoribus; L. 9, C. de solution.; L. 2, § 1, D. de pact.
Tit. I. — 1. *Agitur hic de furtis*, Lib. 47, D.; Lib. 6, C. 2. — 2. Vulgo: sequitur ut... ex maleficio ET QUASI EX MALEFICIO dispiciamus. — 3. L. 4, L. 25, § 1, D. de oblig et act. — 4. Inst. Gaii, III, 182. — 5. L. 1, § fin. D. de furtis. *adde* L. 75, D. eod. § 7, supr. de usucap. — 6. Vulgo: fraudulosa, LUCRI FACIENDI GRATIA, vel ipsius rei, etc.; L. 41, § 1, D. ad leg. Aquil.; L. 50, § 2; L. 55, in pr. D. de furtis; L. 5, C. de injur. — 7. L. 1, in fin. D. eod. L. 52, D. de verb. sign. — 8. L. 1. in pr. D. de furt. — 9. L. 2, D. eod. — 10. Inst. Gaii, III, 183. — 11. L. 5, in pr. D. eod. — 12. Inst. Gaii, III, 183. — 13. L. 3, in fin; L. 4 et 5, D. eod. — 14 Inst. Gaii, III, 183. — 15 *Id.* III, 185 — 16. L. 1, § 2, D. de fugitiv.; Inst. Gaii, III 186, 187. — 17. d. L. 1, § 2, D. de fugitiv. — 18. Inst. Gaii, III, 192, 193. — 19. L. 14, C. de furtis planè odio, et § 18, infr. de action. — 21. Inst. Gaii, III, 189, 190. — 22. *Id.* 195. — 23. L. 54, in pr. D. de furtis. — 24. Inst. Gaii, III, 196. — 25. L. 40, L. 48, § 4, L. 76, in pr. D. de furtis; L. 5, § 8. D. commodati. — 26. Inst. Gaii., III, 196. — 27. L. 46, § 7, D. de furtis. — 28. L. 53, in pr. D. eod. — 29. Inst. Gaii, III, 197. — 30. d. L. 46, § pen D. eod. — 31. Inst. Gaii, III, 198. — 32. *Id.* III, 198. — 33. L. 20, C. eod. — 34. L. 1, D. de servo corrupt.